UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Excel[lentissi]mo Et Illvst[rissi]mo Domino D. Iacobo De Noyelle Marchioni Ac Castellano Lisbvrgensi, Comiti De Croix, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-46093

Visual Library

EXCEL.MO ET ILLVST.MO
DOMINO
D. IACOBO
DE NOYELLE
MARCHIONI AC CASTELLANO
LISBVRGENSI,
COMITI DE CROIX,
Vicecomiti de Nielles, Baroni de Maldegem, Guize, Cortſy, Toparchæ de Laires, Boucourt, &c.
ÆRARII REGII PRÆFECTO,
& renouandis per Flandriam Magiſtratibus Commiſſario Regio.

QVÆ nobis è ſolo ad cælum à cæleſti Rege demonſtrata iam olim ſtrataque eſt REGIA CRVCIS VIA, eam, COMES EXCELL.ME,

 calamo

calamo noſtro adumbratam nomini Tuo inius conſecratum. Dux ſiquidem & præcurſor noſter, qui non ſine comitatu ſuam ſibi in Caluariæ locum detulit CRVCEM, per omnes ſæculorum ætates itineris huius comites requirit. Quemadmodum enim
Iudic. 9, 48 ſtrenuus ille Abimelech *aſcendens in montem cum omni populo ſuo, arreptâ ſecuri præcidit arboris ramum, impoſitumq́ ferens humero, dixit ad ſocios: Quod me videtis facere, citò facite:* non ſecùs ſupremus noſter Imperator, qui

Lucan. l. 9. —— *primus arenas*
Ingrediens, primusq́ gradus in puluere ponens,

omnibus idemtidem inclamat:
Ioan. 13, 15. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum*

modum ego feci, ita & vos faciatis. &: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat* CRVCEM *ſuam, & ſequatur me.* Matth. 16, 24.
Hinc maxima CRVCEM ferendi Chriſtianis impoſita neceſſitas. nam *qui dicit ſe in* CHRISTO *manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* 1. Ioan. 2, 6. * *Quomodo autem putas* CHRISTVM *ſequendum, niſi lege quâ docuit, & formâ quam prætulit?* * Paulin. Epiſt. 5. ad Seuerum. * *Sequendus*, inquam, *eſt* CRVCE *aſſumptâ, & paſſionis ſuæ ſi non ſorte, attamen voluntate comitandus.* * Hilarius Pict. can. 16. in Matthæum.

In hoc comitantium agmine quòd primas, EXCEL^ME^ COMES, Tibi deferam, non Comitatus Tui dumtaxat titulus, ſed rara in Deum pietas fecit. Nam præ na-

talium ſplendore, omnibuſq; quibus merito Tuo illuſtraris nominibus, glorioſum ducis, in Te impleri, quod ſcriptum eſt: *Poſt Dominum Deum tuum ambulabis: & ipſi ſoli adhærebis*. Quid enim? an non *gloria magna eſt ſequi Dominum?* & huius non modò comitem fieri, ſed & filium? *Faſtigium* ſcilicet *nobilitatis eſt, inter Dei filios computari: nec addere nobis quidquam ad dignitatem terrenæ originis decus, niſi contemptu ſuo poteſt. Nemo eſt in cæleſtibus glorioſior, quàm qui repudiato Patrum ſtemmate, ſolâ elegit* CHRISTI *paternitate cenſeri*.

Deut. 13. 4 ita legit Ambroſ.

Eccli. 23, 38.

S. Hilar. Arelat. Serm. de S. Honorat.

Macte hac virtute, COMITVM PIISSIME, tanti Ducis inſiſte veſtigijs, certus, quòd, vt dici ſolet,

Bonus

Bonus Dux, bonum reddet Comitem. imò iam reddidit. Ab illo enim ſunt, quæ in Te ſuſpicimus, non vulgaria ornamenta. Ab illo ſingularis ea, quam dixi, in Deum pietas, in Regem fides, iuuandæ Reip. ſtudium indefeſſum. Ab illo nota illa in rebus arduis prudentia, in dubiis conſilium, in proſperis moderatio, in aduerſis æquanimitas, & benigna in omnes comitas. Quæ ſanè Catholici Regis permouerint Maieſtatem, vt nouo Te, quem gratulamur, MARCHIONIS ornaret titulo; cui & ipſe futurus ſis ornamento. Quid dicam de Tuo in Dei Seruos amore, quos inter noſtrę Congregationis homines ita complecteris, vt operam Tuam, cùm eâ

opus eſt, perhumaniter iis proli-
xeque impendas.

Hæc aliaque, quæ recenſere promptum eſſet, lubens prætereo, quia

Fucati ſermonis opem mens conſcia laudis
Abnuit: ——

& vna ac veriſſima hæc Tua laus, poſſe, nec velle laudari. In partem tamen gratitudinis CRVCEM hanc VIAMQ. accipe: hanc, vt teras; illam, vt feras; & vtriuſque tandem præmium referas æternum. Affligenio, Nonis Ianuarij, anni M. DC. XXXV.

EXCELLENTIAE TVAE

obſequiis addictiſſimus

F. BENEDICTVS HAEFTENVS.